

de Consec. Præbend. idque ratio, ne Dominus præiudicet. Hoc tamen impedimentum manumissione tollitur, dum tamen in ipsa manumissione non sibi Dominus reservet obsequium, vel operas temporales. Servus ergo manumissus, si ei est data plena libertas sine reservatione obsequij, vel operarum temporalium potest ordinari, sine alia omnino dispensatione: cum jam sit plene, & perfecte liber, & secus si Dominus sibi reservavit operas temporales. C. 5. D. 54. potest tamen Dominus sine periculo simoniae aliquas operas spirituales in servo ordinando sibi reservare; v. gr. certas Missas pro se legendas, ipseque debet prestare suo Domino: quod si post ordines susceptos tales operas præstare recuset, deponendus est. C. 4. h. t. Si servus ordinatur priusquam manumittatur, sequentes casus distinguendi sunt. 1. servus, qui Domino sciente, & non contradicente ordinatur, etiam prima tonsura, habetur interpretatione juris pro manumisso à Domino, & fit liber. C. 20. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. 2. Si ignorante Domino fuit in minoribus ordinatus, potest Dominus eum in servitutem revocare intra annum à notitia ordinationis habita, & erit servus, ut antea, quin gaudeat privilegio fori, nec Canonis. C. 2. h. t. C. 10. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. 3. Si ignorante, vel contradicente Domino fuit in Sacris Constitutus, & Episcopus sciebat, esse servum, liber fit ipse servus ordinatus, sed Episcopus tenetur Domino reddere duos servos, æque bonos, vel eorum assimationem, C. 19. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. alterum quidem in damni compensationem, alterum in ordinationis improbae poenam. Gonz. in C. 2. h. t. n. 8. 4. Si ignoravit Episcopus, esse servum, & illum, Domino ignorante, in Subdiaconum, vel Diaconum ordinavit, ipse ordinatus dabit Domino Vicarium, id est, alium servum æqualem, vel sui assimationem de peculio, si ejus usum habeat, vel si nihil horum valeat præstare ipse servus Domino repetenti erit restituendus, & iterum in servitutem redigendus L. 18. tit. 6. p. 1. & ab Officio Sacro suspenditur, & privilegium fori amittit, manet tamen voto castitatis ligatus. C. 9. D. 54. *Juncti. Gloss.* Et licet gaudeat privilegio Canonis, quoad alias personas, non quoad Dominum, à quo poterit, ut antea corrigi, & verberari, ne ipsi fiat præiudicium: arg. C. 2. D. 54. quod fit intra annum à die notitiae non repetat Dominus suum servum interpreta-

tionem juris pro manumisso habetur. C. 20. D. 54. 5. Si ignorante Episcopo fuit servus ordinatus Sacerdos, etiam ignorante, vel contradicente Domino, liber omnino fit. C. 9. D. 54. Et peculium si quod habet, cogitur Domino cedere. C. 9. D. 54. vel si non habeat peculium, Domino in spiritualibus officiis serviet, ut modo quo, possit Domino satisfacere. C. 10. D. 54. L. 18. tit. 6. p. 1. ibi: *E si non fallare le tomez, puedele traer consigo, que le diga las bonas, o que le sirva en otro logar de uqual Ofi io, que à Presbe pertenesce, e esto es por bonra de la Orden que rescibid.*

265 Si vero, Domino ignorante, servus fraudulenter religionem ingrediatur, Domino illum repetenti intra triennium restituitur, cum omnibus, quæ attulit fidem tamen à Domino accepta de impunitate. C. 3. 1. 7. q. 2. ipse tamen manebit votis adstrictus, & religioni quantum in ipso est. Si Monasterium sit in culpa non repetetur servus, sed Monasterium satisfaciet Domino, secundum boni viri æstimationem. *Mirand. Man. Pralat. tit. 1. q. 172* Et si valde deceat, quod filius familias requirit consensum patris, ut ordines suscipiat, simpliciter tamen non est necessarium, cum illo jure hæc imponatur necessitas: si aut potest Religiosus sine Abbatis licentia adstrictiorem ordinem transire. C. 18. de Regular. Nec Clericatus, nisi sit Dignitas Episcopalis, liberat à patria potestate: bona tamen in Clericatu acquisita ipsi Clericis tanquam bona Cærensia acquiruntur, ac proinde liberè de illis disponere valent. L. 34. *Auth. Sed Episcopalis. C. de Episcop. & Cleric. L. 65. tit. 5. p. 1.*

TIT. XIX.

De Obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non.

266 **N**ON possunt licite sine dispensatione Pontificis ordinari, qui ob publicam, seu privatam administrationem sunt obligati ad ratiocinia, seu rationem reddendam, nisi prius à ratiocinijs absoluti sint. Tales sunt Thesaurarii, Quæstores, Collectores tributorum, Conductores Vectigalium, vel Fisci, Tutores pupillorum, Actores, Procuratores, Executores, Depositarii, obligati militiæ, & si qui sunt alij. C. un. h. t. C. un. D. 53. ubi taliter implicati Curiales

dicuntur. Possunt tamen ordinari, qui sunt Procuratores, Tutores, miserabilium personarum, Tutores legitimiagnatorum, quia hoc etiam Clericis permittitur. C. fin. D. 86. C. 1. 21. q. 3. L. 23. tit. 6. p. 1. idem dicendum est de Administratoribus Ecclesiæ, vel causæ piæ, de Cancellarijs, & Consularijs Principum, de Judicibus Causarum Civilium, & de illis, qui non ex administratione rei alienæ, sed ex aliquo contractu, v. g. promissione, vel mutuo tenentur alijs rationem reddere. Hi enim bene possunt ordinari. Similiter, & illi, qui fuerunt rerum temporalium Administratores, relicta administratione privata, vel publica, reddiditque rationibus, licet debita contracta nondum solverint, præsertim tamen cautione, vel cessione facta. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 3. n. 23. & alij.* Ratio præsentis prohibitionis est, ne Ministri Ecclesiastici varijs litibus vexentur, & ut ipsis intersint à sacris ministerijs distraherentur, & ipsa Ecclesiæ ex Ministrorum distractione infametur: arg. C. un. h. t. *ibid. Gonz. n. 8.* ex illa generali ratione *Apost. 2. ad Timot. 2. v. 4. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Deinde, quia præsumitur taliter obligatos, ordines suscipere, magis animo fugiendi ratiocinia, quam desiderio sincero serviendi Deo. C. un. D. 53. L. 23. tit. 6. p. 1. optime *Suar. de Censur. D. 51. sect. 3. p. tot.*

TIT. XX.

De Corpore vitiatis ordinandis, vel non.

267 **A** Niqui ex vitio corporis, animi vitium arguebant: & ideo inter Vitales non admittebatur femina aliqua parte corporis mutila, multoque minus in Sacerdotem cooptabatur aliquod simile vitium pariens. Nam ut Seneca aiebat, Sacerdos non integri corporis quasi mali hominis res vitanda est: licet e contra e corporis elegantia, animi virtutem inferebant, juxta illud: *Gratio est pulchro veniens in corpore virtus.* Sic etiam in Lege Veteri erat statutum. *Levit. 21. ex v. 17. Homo, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo: nec accedet ad ministerium ejus; si cæcus fuerit, si claudus, si parvus, vel grandis, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugum*

scabiem, si impetiginem in corpore, vel heriosus. Similiter in Jure Canonico ad exemplum Legis Veteris habetur tanquam irregularitas, & impedimentum Canonicum ad ordines suscipiendos, corporis vitium. C. 4. *Seqq. D. 55. C. 1. & per tot. h. t.* si hic defectus, vel irregularitas ante ordines susceptos habeatur, impedit etiam primæ tonsuræ susceptionem, quamvis ille defectus solum unum actum ordinis principalem impediat. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 12.* Si vero post ordines susceptos superveniat sine culpa ordinanti, dicendum est cum *Eugen. Pap. in C. 2. de Cleric. Agrot. ibi: Presbyterum, cuius duos digitos cum medietate palma à prædione abscessos significasti, Missam non permittimus celebrare, quia nec sicurè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri, hoc fieri confidimus: ipsum autem ceteris officijs Sacerdotibus fungi minime prohibemus. D. Tbom. in 3. p. 9. 82. art. 10. ad 3.* Ex hac generalitate ad casus particulares descendere oportet.

268 Hoc impedimentum provenit ex varijs Capitis. 1. ex mutilatione, 2. ex culpabili abscissione, 3. ex debilitate, 4. ex deformitate, 5. ex morbo. Mutilati ergo sunt, qui carent aliquo membro: membrum est quælibet pars corporis, quæ aliquam peculiarem functionem, seu officium habet distinctum ab aliarum partium officio, & munere: Hinc membra sunt, brachium, lingua, oculus, manus, nares, aures, pedes, & alia hujusmodi. Hi enim irregulares sunt. C. 1. C. 2. C. 6. C. fin. h. t. L. 25. tit. 6. p. 1. *Can. 77. Apostol. ibi: Qui vero mutus, iudicus est, & cæcus est, Episcopus non efficitur: non quia obleso corpore est, sed ne Ecclesiastica infundantur munia.* Tales mutilati non sunt apud Sacris ministerijs, cum illa nequeant exercere: imò aliqui consent, tunc non tam irregularitatem, quam incapacitatem Juris Nature dari, sive membro totali, sive parte illius careat ordinandus. Hinc ordinari non potest mutilatus manu. C. 6. h. t. nec ille, cui duo digiti eam medietate palmae sunt abscissi. C. 2. de Cleric. Agrot. sic qui pollice, vel indice integre caret, non potest ordinari, quia illi digiti sunt valde necessarij ad fractionem, & elevationem Hostiæ. C. 1. C. fin. h. t. Si vero digito pedis, vel manus sinistra, imò & alijs dextræ careat, ordinari potest. C. 11. D. 55. L. 25. tit. 6. p. 1. Nec defectus partis pollicis, vel indicis obstat, si usum ordinis non impediatur. C. fin.

C. *fn. b. t.* Claudus non est irregularis, si absque baculo, & pede ligneo ad altare accedere, stare, & ordinum functiones obire possit, quamvis unum crus sit brevis altero, nisi magna sit deformitas. *Lacroix. l. 7. n. 504.* Si verò non possit in altari sine baculo sustentari, non possit ordinari. C. 57. de *Conf. D. 1.* Nec ille, qui pede ligneo indigeret, tum propter deformitatem, tum propter scandalum: adeo, ut quamvis esset jahn Sacerdos deberet à celebratione Missæ cessare. *Ut ex c. 2. de Cleric. agrot. deducit Greg. Lop. in l. 25. tit. 6. p. 1. v. Dedit del. pie.* Si verò dens, vel alia pars, quæ membrum non sit, alicui deficiat, si aliunde ordinis exercitium non impediatur, non erit irregularis. *L. 25. tit. 6. p. 1.* Quod si post ordines susceptos accidat mutilatio, solum prohibetur exercitium ad quod datur impedimentum. C. 2. de *Cleric. agrot.* Hinc si talis non potest ministerium Missæ exercere, poterit in Diaconatu, & alijs gradibus ministrare, prædicare, confessiones audire, &c. v. gr. Si Sacerdos sit cæcus, poterit confessiones audire, quamvis Sacrificium non faciat, si est fundus Missam dicere poterit, & sic de alijs discurrendum erit. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 13. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 27. & 55.*

269. Irregulares sunt, qui ex propria culpa, & quidem mortali sibi amputant membrum, vel partem membri, etiamsi talis abscisio, non impediatur notabiliter ordinis exercitium, nec inferat magnam deformitatem, ob crudelitatem, & luxuriam, quam in se ipsos exercent. *Can. 22. Apost. c. 6. D. 55. c. 2. D. 33.* in Creatoris irreverentiam: quia nullus est Dominus membrorum suorum. *L. 13. ff. ad leg. Aquil. Can. 23. Apostol. Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 6.* Hinc irregulares sunt, qui sibi virilia abscindunt, vel abscindi permittunt, etiamsi hoc fecerint bono zelo, quamvis indifferenter, servandi castitatem: etiamsi defectus sit occultus, nec culpa sit notoria. *L. 25. tit. 6. p. 1.* cum hæc irregularitas non innitatur notorietati culpæ, sed crudelitati in se exercite cum Creatoris irreverentia. C. 4. D. 55. ibi: *Si quis abscidit semetipsum (id est, si quis amputavit sibi virilia) non fiat Clericus, quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus.* C. 5. D. 55. ibi: *Hi, qui se, carnali vitio repugnare nescientes, abscindunt, ad Clerum pervenire non possunt: Quando Christus D. laudat apud Matth. 19. v. 12. Eunuchos, qui se castraverunt propter Reg-*

num Cælorum. Non debet hoc sumi literaliter, ut sonat, ut fecerunt Origenes, Leontius, & Hæretici Valesiani: sed debet intelligi spiritualiter de eis, qui continentiam, & castitatem servant. *Juxta D. Aug. Abul. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 12. Gonz. in c. 5. b. t. n. 8. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 74.* Qui dedit causam culpabilem mutilationi, quamvis eam non velit directe: v. gr. si quis rixando, vel deprehensus in adulterio fuit mutilatus à marito adulteræ, vel à iudice in pœnam delicti, vel à Medico ob morbum contractum, verius est irregularis in puncto juris ex c. 1. b. t. ibi: *Potes cum eo misericorditer agere, & permittere ipsi in suo Ordine ministrare.* Quæ verba accepta juxta rubricam, sub qua jacent: *de corpore vitiatu ordinandis, vel non:* Clare irregularitatem indicant. Et sic tenent *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 8. Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. ex n. 15.* Irregularitatem in hoc casu non incurrit, quis non expressam in jure, juxta C. 18. de *Vent. Excommunicat. in 6. dicitur Nicol. Garv. de Benef. p. 7. cap. 12. n. 9. Gonz. in c. 1. b. t. n. 3. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 70.* Et quidem omnes satis probabiliter. Qui fuit causa culpabilis mutilationis alterius, etiam irregularis est. C. 9. de *Cleric. vel Monach. c. 19. de Homicid.* Talis mutilatio culpabilis facit irregularem omnino, & absolute ad omnes ordines actus cum, qui se mutilavit, etiamsi superveniat post ordinationem, adeo, ut omnem actum ordinis impediatur, & in hoc differt ab irregularitate, quæ provenit ex mutilatione involuntaria. C. 2. de *Cleric. agrot.* Et ab ea, quæ à morbo, & debilitate provenit. *D. Thom. in 3. p. 9. 82. art. 10. ad 3.* Qui sine culpa abscisus est, v. gr. scetus in cunabulis, vel qui per infidias factus est Eunuchus, vel ita natus est, vel qui de Consilio Medici fecit virilia sibi abscindi, vel aliud membrum: quia sic expedit ad corporis salutem, & conservationem vitæ: si talis mutilatio non impediatur congruo ordinis exercitium, nec deformitatem notabilem asserat, vel scandalum pariat, non est irregularis. C. 3. c. 5. b. t. C. 6. D. 55. ibi: *In illis enim voluntas est judicata, quæ sibi ausa fuit ferrum injicere: in istis verò casus veniam meruit.* *L. 25. tit. 6. p. 1. c. 8. D. 55. ibi: Eunuchus, si per infidias hominum factus est, vel si in perfectione ejus sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est ægenu, fiat Episcopus.* Et *Glos.* Non est ergo necesse servare carnem illam, vel pulverem, ut dicunt vulgares. Et

ratio non incurrendi irregularitatem in his casibus, est: nam sine causa, vel culpa non imponitur irregularitas. Et hic nec culpa est, ut supponimus, nec causa, quia nec impeditur ulum ordinis, nec deformitatem inducit. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 10.* Irregulares etiam sunt ob identitatem rationis, qui vocis servanda causa se castrari permittunt. *Arg. c. 6. D. 55. junct. c. 4. b. t. Bonacin. de Censur. D. 7. p. 2. n. 34. Mol. & alij contra Salmant. & alios.*

270. Irregulares sunt debilitati. Scilicet, qui nullo membro carent, sed aliquid habent inutile ad illius proprias functiones; ut sunt oculus cæcus, auris surda, crus contractum, manus arida, vel manca, vel perpetuo tremula, præcipue si subvertendi sanguinem imminet periculum. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 17.* Cæcus, monoculus, cocles, vel luscus, irregulares sunt, sive careant oculo dextro, sive sinistro, qui *Canonicus* solet appellari, quia ipso præcipue Canonem Missæ legimus; cum Jus Canonicum talem distinctionem non faciat. *C. fin. D. 55.* Idem est, de lippis, quorum, talis sit lippitudo, ut horrorem causet. Qui pupilla oculi caret, vel caret vitu in oculis, licet oculos integros habeat irregularis est. *C. fin. D. 55.* Balbus, balbutiens, vel blæsus, qui tarde, & impeditè loquitur, vel qui e contra linguam præcipitem habent, non sunt irregulares, nisi hoc vitium tale sit, ut non unat eos perfecte loqui, aut verba explicare. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 25.* Surdaster non est irregularis; sed totius est; dispensationem petere à Pontifice, quando hoc vitium notabile est. Si mutus, vel surdus sit, utique erit irregularis. *Can. 77. Apost.* quod si surditas post ordinationem adveniat, non impedit Missam privatim sine Ministro celebrare; & quamvis non sit necessaria, utiliter tamen peritur dispensatio. Imò dicendum censio, quod debet adhiberi Minister, ut supponit *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 13.*

271. Nequeunt ordinari deformes, qui scilicet, etiam sine aliqua mutilatione, vel aggritudine, notabilem habent deformitatem per excessum, vel defectum alicujus membri, ita ut sine horrore, indecentia, aut ritu conspici nequeunt. C. 2. b. t. *L. 25. tit. 6. p. 1. ibi: Fuerae enã si fuisset aquilla mengua de manera, que le ficiese gran fealdambre.* *Suar. de Cens. D. 51. sect. 2. ex n. 14.* Hinc irregulares sunt, qui carent auribus, vel naribus, vel ha-

bent oculos nimis deformes, vel si facies notabiliter deformis sit, vel colorus maculata, vel deturpata vulneribus, & cicatricibus; ut qui monstruosi sunt, ut Gigantes, vel Pygmæi; aut habentes duo capita, vel tria brachia; Hermaphroditus, etiamsi sexus virilis prævaleat. Qui caret visu in oculo dextero non est irregularis, dum oculos integros habeat, secus si careat visu in sinistro ob deformitatem, quam talis defectus inducit in legendo Canone, nisi forte tanta perspicacitate vigeat dexter, ut sine deformi facie conversione ad Missam possit quis Missam legere. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 15. Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. ex n. 27.* Etiam sunt irregulares notabiliter gibbosi, & curvi. Ille verò, qui habet sex digitos non est irregularis. *L. 25. tit. 6. p. 1.* Et tunc potest ipse digitum, vel aliud membrum superfluum impunè amputare. *Barbof. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 23.* Color non inducit irregularitatem ac proinde Mauri, & Ætiopes possunt ordinari. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 26.* & in his Indiarum Regnis, Indi, qui sunt sulci, & Malabares, & Canarines, qui sunt nigri in Sacerdotibus promovetur, ut quotidie in his Indulis videmus.

272. Ob morbum irregulares sunt leprosi, qui ob scandalum, & abominationem Populi non ordinantur. C. 4. de *Cleric. agrot.* idem est de laborantibus scabie, vel chiragra incurabili. Similem irregularitatem habent abtemisii, id est, qui vinum non bibunt, & qui facile vomitum patiuntur, amentes, furiosi, epileptici, seu morbo caduco laborantes, paralytici, phrenetici, lunatici, atreptici, seu possessi à Demone. C. 3. c. 4. c. 5. D. 53. nisi hi integrè convalescerint, ad cuius experientiam unus annus conceditur, & arbitrio Episcopi determinatio relinquuntur.

273. Solus Papa, & raro quidem in hac irregularitate ex vitio corporis proveniente, & dispensat non solum quando Sacri Ordines, sed etiam quando prima tonsura est suscipienda. C. 59. D. 50. l. 64. tit. 5. p. 1. Et *ibid. Greg. Lop. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 58. & 59.* Et ex ejus delegatione Episcopus dispensat cum eo, qui fecit sibi amputari virilia. *Ut in specie Text. in c. 4. b. t. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 58.* tamen *Gonz. in d. c. 4. n. 4.* tener, hæc dispensationem competere Episcopo Jure Ordinario. In dubio quidem: bene dispensat Episcopus, & etiam quando abscisio alicujus partis corporis est occulta. *Ex Trid. sess. 24. de Ref.*

Ref. cap. 6. Et post ordines susceptos ad ministrandum in ipsis. Ipsique competit in dubio determinare, an defectus corporis, vel deformitas impediatur, etiam respectu Regularium, ad ordines promovendi. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 42. n. 60.* Idem iudicium competere dicendum est, Prælati Regularibus exemptis respectu suorum subditorum: quia tale iudicium est quasi sententia ad jurisdictionem pertinens: maxime si ordinibus superveniat talis defectus: nam si antecedit, est liberum Episcopo, qui ordinaturus est Regularem defectuosum, illum admittit, vel rejicit, etiam post iudicium proprii Superioris. *Suar. de Censur. D. 51. sect. 2. n. 16. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 68. & 75. Castropol. & alij.*

TIT. XXI.

De Bigamis non ordinandis.

274 **Q**uamvis neque in Lege Naturæ, nec in Lege Veteri esset impedimentum ad Sacerdotium nuptiarum iteratio, tamen inter Athenienses, & alios Ethnicos solum ad Sacerdotium admittebantur Monogami, id est, qui tantum cum una contraxerant, & apud Romanos Vestalis univira esse debebat. Nam ex nuptiarum repetitione quandam incontinentiæ suspitionem inferebant. Ut ex *D. Hieron. Plutarco. Aul. Gell. & alijs* assert *Gonz. in c. 5. h. t. n. 6. & 10.* Ad harum Nationum exemplum Apostoli hanc irregularitatem induxerunt, non quidem tanquam promulgatores Evangelij, ita ut Jure Divino sit hoc impedimentum inductum, sed potius tanquam Prælati, & Legislatores Ecclesiastici illud induxerunt: Ita ut hoc impedimentum Juris Ecclesiastici sit, & à Papa dispensabile, ut contra *Turrian. & alios* tenendum est cum *D. Thom. in 4. D. 27. art. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 1.* & habetur expressè in *l. 5. tit. 5. p. 1. Et ibid. Greg. Lop. Apostolus enim. 1. ad Tim. 3. v. 2.* hanc Legem ordinandis imposuit. *Oportet, Episcopum esse unius uxoris virum.* quod clarius, & generalius statutum, & extensum esse ad Presbyteros, & Diaconos, & bigamiam interpretativam, constat ex *Can. 16. & 17. Apostol.* quod postea universalis Ecclesia est amplexata, ut constat ex *c. 14. D. 34. ibi: Cognoscimus, non solum hoc de Episcopo, & Presbytero Apostolum statuisse, sed etiam Enceps in*

Concilij Niceni tractatu addidisse: neque Clericum quemquam debere esse, qui secundam conjugia sortitus sit.

275 Hæc irregularitas dicitur Græcè *Bigamia*, hoc est duplex matrimonium; & hinc *bigamia*, & bigami, quos binubus appellant *Justinianus, Casiod. & alij.* Eandem irregularitatem habent trigami, quadrigami, &c. id est, qui tertium, vel quartum matrimonium contraxerunt: Hæc irregularitas provenit ex defectu significationis matrimonij: hoc enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ est unica unius, juxta illud *Cantic. 6. v. 8. Una est columba mea, perfecta mea.* Et quidem erat virgo immaculata: Hanc ergo conjunctionem non potest bigamus, qui suam carnem per copulam cum pluribus divisit, representare. *C. 5. h. t. C. 2. D. 26.* Cum ergo bigamus defectum in Sacramento patiat, non oportet, quod ipse alijs Sacramenta ministret, ac proinde non debet ordinari, siquidem per ordinationem fit Sacramentorum Minister: præterea repetitio nuptiarum aliqualem incontinentiæ suspitionem generat; & exiditque sic suspectus ab altaris ministerio segregare. *D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 1. n. 4. Gonz. Barb. & alij.* Qui ante baptismum duas uxores habuit, vel unam ante, & post baptismum aliam bigamus est, ac proinde non est ordinandus. *C. 2. 28. q. 3. c. 3. D. 26.* in baptisate enim crimina abolentur, non confederatio conjugij dissolvitur. Contrarium habetur in *C. 1. D. 26. c. 1. 28. q. 3.* in qua Sententia fuit *D. Hieronymus* prædictorum Textum Autho. Sed omnino prevaluit Sententia contraria, quam tenuerunt *D. Augusti. D. Ambrosi. & alij*, & sequuntur *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 2. Palud. Soto. & com. DD. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. ex n. 10.* comprobat. *L. 17. tit. 6. p. 1.*

276 Bigamia est triplex. 1. dicitur *vera*, quando scilicet, quis successivè cum duabus verè matrimonium contraxit, & consummavit utrumque. Si aliquid autem non consummavit, cum carnem suam per copulam cum pluribus non divisisset, non contrahit hanc bigamiæ irregularitatem. *C. 5. h. t. C. fin. D. 34. l. 35. tit. 5. p. 1.* Qui ante, vel post, vel in ipso matrimonio, cum una, vel pluribus meretricibus fornicatus est, cum non affectu maritali carnem suam cum ipsis divisisset, non incurrit hanc irregularitatem. *C. 7. D. 34. c. 6. h. t.* Et quidem si olim aliquam irregularitatem incurtebat conjugatus, rem ha-

de Bigamis non ordinandis.

habendo cum concubina: hæc non ex defectu significationis, sed ex delicto, vel infamia proveniebat. Et sic debent intelligi. *Text. in C. 8. e. 12. D. 34. G. 1. c. 2. D. 33. D. Thom. in 3. p. q. 66. art. 1. ad 2. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 8. & 9.* Nec itidem est irregularis ille, qui duo sponsalia contraxit, etiamsi copula sit secuta sine affectu maritali; nec qui duo matrimonia tantum rata contraxit: nec qui duxit in uxorem alterius viduam, si hæc à primo marito non fuit cognita. *C. fin. D. 34.* Nam bigamia non contrahitur, si non sequatur copula maritali affectu: & quidem perfecta.

277 2. *Bigamia interpretativa* dicitur, & contrahitur, cum quis juris fictione, vel interpretatione, duas uxores centetur habuisse, licet verè, & proprie unam solum habuisset: & reperitur in sequentibus casibus. 1. enim in *C. 17. Apost.* cui consonat *C. 15. D. 34.* sic habetur: *Si quis viduam, aut ejusdem accepit: non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio Sacro deservunt.* *C. 9. c. 10. c. 13. D. 34.* Qui enim cum vidua; quæ cum alio matrimonio consummaverat, contrahit matrimonium, illudque consummat bigamus interpretativus, & irregularis est. *L. 35. tit. 5. p. 1.* similiter est irregularis, qui ducit, & consummat cum corrupta ab alio. Si verò quis ducat, quam ipse contempserat, non fit irregularis. *L. 35. tit. 5. p. 1.* quia matrimonium retrahitur ad tempus copulæ, sicut ad legitimationem retrahitur. *C. 6. Qui filij sint legit.* ac proinde non censetur in plures carnem divisisse. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 6.* Qui ab alio relictam, separatam, vel repudiatam postquam fuit cognita, ducit, & cognoscit, est irregularis, licet secundum matrimonium sit nullum de jure: quia primum obstat ex impedimento bigamini. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 10. 2.* contrahitur hæc bigamia interpretativa, si quis ad uxorem propriam accedat postquam per adulterium ab alio est corrupta. *C. 11. D. 34. L. 35. tit. 5. p. 1.* nam maritus cognoscendo uxorem suam ab alio corruptam, efficitur maritus corruptus, & censetur cum corrupta contraxisse. *L. 35. tit. 5. p. 1. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 14.* Si maritus ignorans adulterium, vel si quis contrahat cum corrupta, quam virginem credebat, vel cum relicta ab alio, quam ignorabat conjugatam, & etiam si mulier per vim sit cognita ab adultero; inò & si maritus centuris

cogatur uxori ab alio corruptæ debitum reddere: nam hæc in his casibus fit irregularis. Ad hæc irregularitates non est delicto, sed ex defectu Sacramenti provenit, qui certè in his casibus reperitur. Sic contra aliquos, & quoad adulterium ignoratum contra *L. 35. tit. 5. p. 1.* tenent expressè *D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 1. q. 3. ad 4. Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. ex n. 15. Sanch. de Matr. L. 7. D. 84. ex n. 15. & alij. Lex 35. tit. 5. p. 1.* solum loquitur à contrario sensu, ac proinde non directè probat contra nostram conclusionem: nam ex eo quod maritus incurrit irregularitatem, quando scit adulterium, ut in dicta lege dicitur; non statim inferitur, quod non incurrit irregularitatem, quando ignoratur à marito adulterium. At verò per fornicationem viri non incurrit bigamia. *C. 6. h. t.* quia magis indecens est in femina hic defectus; nam ducere corruptam ab alio, aut cohabitare cum uxore, quæ adulterium commisit, est quadam infamiae species. Ac propterea aliquod opprobrium Ordini Clericali inferitur: quæ ratio in viro non militat. *Suar. de Censur. D. 49. sect. 3. n. 9. 3.* Hæc bigamia incurritur, si quis defacto ineat duo matrimonia, vel ambo nulla, vel unum de jure, & aliud de facto, sive simul utrumque, sive successivè, dum tamen utrumque affectu maritali consummet, irregularis fit. *C. 4. h. t.* etiamsi matrimonium contraxisset illosoric ad extorquendam copulam, quod proinde nullum fuisse ex defectu consensus, adhuc fit irregularis, quia habuit affectum ad duo matrimonia, quæ exterius fuerunt executioni mandata. *L. 35. tit. 5. p. 1. ibi: Ego es porque mostrò, que avia voluntad de casar; ò porque complió el casamiento, quanto en él fue, e non sino por él.* *Suar. de Censur. D. 49. sect. 2. n. 10. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 27.* contra alios.

278 3. Species bigamia dicitur *similitudinaria*, quæ potius quam bigamia est bigamiæ similitudo: & contrahitur ab illo, qui post Sacros Ordines susceptos, vel professionem religiosam, matrimonium contrahit, de facto quidem, (nam de jure non potest) & consummat cum unica, & virgine. *C. 4. de Cleric. conjug. C. 1. Qui Cleric. vel vocent. C. 24. 27. q. 1. L. 35. tit. 5. p. 1.* Hi enim duo matrimonia contrahunt, unum spirituale, & de jure; aliud carnale, & defacto. Et propter similitudinem cum contrahentibus duo matrimonia verè talia, bigami dicuntur. Si verò Laicus cum Moniali professa matrimonium

contrahat, non incurrit hanc irregularitatem, utpotè nullo iurè expressam. C. 18. de Sent. excom. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 85. in fin. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 36. Quæcumque ex his bigamijs impedit, non irritat omnes ordines. C. 2. e. 3. e. 4. e. 5. b. t. C. 4. de Cleric. conjug. & Episcopus tales ordines incurrit suspensionem, infligendam per sententiam, à collatione ordinum, quos contulit, & à celebratione Missæ per annum. C. 2. D. 55. e. 2. b. t. ibi: Respondemus, quod Ordinatores eorum potestate, & officio ordinandi, & ordinati, si ad Sacros Ordines fuerint promoti, eis idè sunt privandi, quia in bigamijs, contra Apostolum, dispensare non licet, ut debeat ad Sacros Ordines promoveri, vel in eis si promoti fuerint, remanere. Quod quidem locum habet, etiam mortua uxore: quia adhuc remanet bigamia ab ordine suscipiendo bigamum excludens. C. 3. b. t. & circa ipsos Greg. X. in C. un. b. t. in 6. declarat: Bigamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & coercitioni fori secularis addictos: consuetudine contraria non obstante ipsis quoque prohibet sub anathemate deserre tonsuram, vel habitum Clericalem. Quæ Constitutio non extenditur ad Clericos in sacris constitutos. Nam hi privilegia Clericalia non amittunt, nisi deponantur, vel degradentur; nec ad Religiosos, qui privilegio Clericali gaudent, donec priventur per sententiam. Suar. de Censur. D. 49. sect. 5. n. 7.

279 In bigamia vera, & interpretativa solus Papa dispensat, cum hac non ex delicto, sed ex defectu proveniat, & à Jure Communi sit statuta. C. 2. e. 3. b. t. L. 5. L. 35. tit. 5. p. 1. & solus ipse in Jure Communi, quando alijs non conceditur, dispensat. C. 4. de Consec. Præbend. raro tamen, etiam ipse in bigamia dispensat propter Apostoli reverentiam, qui hanc irregularitatem inducit. C. 2. e. 3. b. t. Et licet Papa possit in hac irregularitate dispensare, siquidem non Jure Divino, sed solum Jure Ecclesiastico est inducta. D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 3. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. ex n. 1. Gonz. in C. 5. b. t. n. 7. tamen non debet facile, & sine gravi causa dispensare. Et sic venit intelligendum, quod in C. 2. b. t. dicitur: Non liceat dispensare. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 49. n. 20. Gonz. in C. 5. b. t. n. 11. Episcopus autem nequit in hoc impedimento dispensare, etiam ad Ordines minores, & beneficium simplex. C. 59. D. 50. Arg. C. un. b. t. in 6. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 17. Et sic declaratum est à Congreg.

Cardin. Garc. de Benef. p. 7. cap. 6. n. 5. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 4. contra D. Thom. in 4. D. 27. q. 3. art. 3. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 86. n. 11. Salmant. tr. 10. de Censur. cap. 9. n. 40. qui fundantur in C. Lector. D. 34. Potest tamen Episcopus dispensare in bigamia similitudinaria, cum sic ligato, qui virginem duxit in matrimonium. C. 4. de Cleric. conjug. C. 1. Qui Cleric. vel vocent. quia hæc non ex defectu, sed potius provenit ex delicto. Non tamen potest dispensare cum eo, qui est ordinatus post ejus uxoris mortem, si vidua, vel corrupta erat, & postea in sacris constitutus contrahit defacto matrimonium: nam tunc præter similitudinariam dat bigamiam interpretativa. C. 2. b. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 86. n. 20. Possit Episcopus in bigamia interpretativa dispensare, quando provenit ex delicto occulto, ex Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. tenent Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 86. n. 23. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 49. n. 25. sed verius negat Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 9. quia licet interdum interveniat delictum, v. g. adulterium uxoris, ad quam quis post ipsum commissum accessit (etiam si hoc sit occultum) adhuc principale fundamentum ejus non est delictum, sed defectus significationis, ideoque nihil refert, quod in casu dicto, vel alio simili, delictum, vel factum, in quo fundatur bigamia sit publicum, vel occultum. Nec Communitarius Cruciate, virtute Bullæ, potest in hoc impedimento dispensare. Mach. in Sum. lib. 4. p. 5. tr. 1. & alij com. Prælati Regulares, etiam exempti, nisi speciale privilegium habeant, non possunt cum suis subditis in bigamia vera, vel interpretativa dispensare, etiam ad minores Ordines; possunt tamen cum eis in bigamia similitudinaria, purè tali, dispensare. Suar. de Censur. D. 49. sect. 6. n. 17. & 18. Nec in Indijs possunt Episcopi in vera bigamia dispensare, ut ex solitis constat. Vid. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 86. n. 14. Monteng. Paroch. Indor. lib. 5. tr. 1. sess. 2. In aliquibus Indiæ Provincijs possunt Provinciales Ordinis Prædicatorum in diebus S. Dominici, S. F. homæ, S. Vincentij, & S. Catherinæ, in bigamia, alijsque irregularitatibus, & exceptis voluntario homicidio, & illegitimitate, dispensare. Monteng. Paroch. Indor. lib. 5. tr. 1. sess. 12.

Monteng. Paroch. Indor. lib. 5. tr. 1. sess. 12.

TIT. XXII.

De Clericis Peregrinis.

280 IN hoc titulo, quasi in præcedentium appendice, agitur de quadam, quasi umbra irregularitatis, quam habent peregrini; quorum nomine hic intelliguntur, qui aliter sunt Diocesis: multoque magis vagi, qui sine certa Sede, hinc inde vagantur. Nam tales nec prima tonsura sunt iniciandi sine proprii Episcopi litteris dimissorijs. C. fin. de Temp. Ordin. in 6. imò nec in suscipiis ministrare permittuntur sine commendatitij litteris. C. 7. D. 71. c. 3. b. t. quod denique fuit roboratum in Trid. sess. 23. de Ref. cap. 16. ibi: Nullus præterea Clericus peregrinus sine commendatitij sui Ordinarij litteris ab ullo Episcopo ad Divina celebranda, & Sacramenta administranda admittatur. Possunt tamen sine litteris admitti ad celebrandum privatim, si alias suspecti non sint. C. 3. b. t. potestque Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ delegatus compellere Prælatos suæ Diocesis, etiam exemptos, ne tales ad celebrandum publice admittant. C. fin. b. t. Barb. de Offic. Episc. alleg. 21. n. fin. Hæc litteræ Commendatitiæ, quas etiam formatas, & Canonice appellamus, continebant testimonium de ordinatione Clerici, de carentia impedimenti, de vita, & moribus, & doctrina illius. Illæ, quæ peregrinis transmarinis dabantur, quinque Episcoporum sigillis olim signabantur. C. 1. b. t. Gonz. in C. 3. b. t. ubi late de eorum forma agit.

281 In Cong. Cardin. super Episcopis decretum fuit, illos teneri litteras commendatitiæ dare Clericis volentibus alibi commorari, si ratione beneficij, non essent adscripti in sua Diocesi residere: nec posse revocare Clericos ipsis subditos, alibi degentes, etiam si in sua Diocesi habeant simplex beneficium. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 21. n. 5. & 6. ex justa tamen causa possunt ipsis litteras negare. C. 23. e. 7. q. 1. Si Clericus alleger, se litteras amississe, vel eas non potuisse obtinere; sed verè, se Clericum esse dicat, sitque paratus hoc jurare, non admittitur iuramentum, si nec semiplena probatio, vel præsumptio sit pro ipso Clerico. Arg. C. fin. de Jur. jur. potest tamen hoc probare per testes idoneos, vel per communem reputationem, vel alia indicia. Gloss. in C. 2. b. t. Imò nulla probatio re-

quitur, si Clericus, etsi peregrinus, notus tamen sit. Nam sine litteris admittetur ad Missam celebrandam. Arg. Trid. sess. 22. Decret. de Observ. in celebr. Miss.

282 Honor. III. in C. 4. b. t. prohibet, ne peregrini, & alienigenæ, incipio Episcopo, ad beneficia in sua Diocesi admittantur: quin inde valeat acceptio personarum inferri: nam cæteris paribus aptiores sunt originarij, & proprij extraneis: ideo indigenæ, si idonei sint merito extraneis præferuntur. D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 4. ibi: Ille, qui de Ecclesiæ gremio sumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit Ecclesiam, in qua est nutritus. Hoc etiam habetur Deut. 17. v. 15. ibi: Non poteris alterius gentis hominem Regem facere. Et ex Regul. 16. Cancel. ibi: Cæteris paribus oriendus non oriundo, Diæcesanus non Diæcesano præferendus est. Et hodie ferè in toto Orbe Christiano excluduntur alienigenæ à Prælaturis, Dignitatibus, & Beneficijs Ecclesiasticis, ut probat Gonz. in C. 4. b. t. ex n. 5. & ratio est: quia indigenæ facilius inducuntur ad residentiam, majoremque solent amorem ad propriam Ecclesiam habere. Nam ut quidam dixit: Nescio quia natale solum dulcedine cunctos. Dicit, & immemores non sinit esse sui. Et ipsi magis accepti sunt Populo propter in-dolis, mortisque similitudinem, idiomatque peritiam. Hæc namque magnopere est in Prælati necessaria, ut suo muneri satisficiant. C. 14. de Offic. Ordin. Et ut ait D. August. de Civit. Dei. 19. facilis animalia diversi generis sociantur, quam diversa linguæ ejusdem speciei. Et Dominus Hierulæm minatur apud Jerem. 5. v. 15. sic: Adducam super vos gentem de longinquo: cuius ignorabis linguam, nec intelliges, quod loquatur et v. 17. & comedet fegetes tuas, & panem tuum. In nostra Hispania observatum jam ab antiquo est, & concessum à Summis Pontificibus fuit, quod solum originarij, & indigenæ admittantur ad beneficia Ecclesiastica, alienigenis exclusis. L. 14. tit. 3. lib. 1. R. C. ibi: Mandamos, que ningun Esvangero pueda aver Prelacia, ni Dignidad, ni presbiterio, ni Canonçia, ni otro Beneficio Ecclesiastico alguno en nuestros Reynos, excepto quando por alguna muy justa, y evidente causa debieremos dar la tal Carta de naturalçez, y entonces la daremos, seyendo vista, y averiguada primeramente la tal causa por los Grandes, y Prelados, y las otras personas, que con Nos residieren en el nuestro Consejo, y seyendo referendadas por ellos en

las españolas, y no en otra manera. Naturales dicuntur, qui nati sunt in Hispania saltem ex Patre Hispano, vel ex eo, qui ibi per decennium habuit domicilium; & etiam illi, qui licet casu alibi nascantur, nascuntur saltem ex Patre Hispano. L. 19. tit. 3. lib. 1. R. C. In aliquibus Diocesis beneficia tantum conferuntur in Diocesi natis, & vocantur patrimonialia, & sic accedunt in Diocesis Burgenis, Palentina, & Calagurritana. L. 21. L. 23. tit. 3. lib. 1. R. C. ex quo infert Gonz. in C. 4. h. t. n. 6. cum Salgad. Saleid. & alijs, iuste in Senatu Castellæ retineri, tanquam subreptitias, Bullas, ubi beneficium alicui extero in nostra Hispania confertur, L. 25. tit. 3. lib. 1. R. C. quod quidem etiam sua proportione intelligendum est de Hispanijs, qui in Indijs nascuntur, etiam respectu ad Hispanos Europæos, ita ut ipsis ceteris paribus nati in Indijs præferantur. Solorz. de Jur. Indiar. t. 2. lib. 3. cap. 19.

TIT. XXIII.

De Officio Archidiaconi.

283 **A**rchidiaconus Græcè, Latine Primus, vel Princeps Diaconorum est. L. 4. tit. 6. p. 1. ibi: *Archeidiano en Griego tanto quiere decir en nuestro lenguaje, como Cabdillo de Evangelizeros.* Et quidem ratione officij debet Diaconatus ordinem, non tamen necessario Sacerdotium habere. Diaconi enim jam ex tempore Apostolorum constituti sunt. Nam cum crescente numero fidelium non possent Apostoli temporalibus attendere, quia æquum non erat, ipsos verbum Dei derelinquere, ut ministrarent mensis, constituerunt septem viros plenos Spiritu Sancto, & Sapientia, quorum cura erat elemosinas inter fideles distribuere, aliaque hujusmodi ministeria exercere. Act. Apost. 6. quo exemplo Romæ, & in alijs Civitatibus fuerunt constituti septem Diaconi, quorum primus Archidiaconus appellari cepit: huic erat commissæ cura invigilandi, ut reliqui Diaconi suum munus ritè exequerentur. C. 11. D. 39. Hinc Romæ septem Regiones Diaconis assignatæ Diaconie dictæ fuerunt, & ipsi Diaconi Regionarij, posteaque Cardinales dicti sunt. C. 5. D. 93. quia Cardini, & Custodia illius Tituli mancipati erant. Gonz. in C. 1. h. t. n. 2. habente tempore adeo crevit Archidiaconorum autoritas, &

potestas, tum ex Episcoporum concessione, tum ex ipsorum propria ambitione, ut oculi Episcoporum appellentur. C. 6. D. 39. ibi: *Diaconi Ecclesiæ tanquam oculi sint Episcopi oberrantes, & circumlustrantes cum verecundia actus, totius Ecclesiæ.* C. 7. h. t. ibi: *Item in Epistola B. Clementis. Papa oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, & emendet.* Imo & Populum sibi segregare ceperunt, proprii officij limites extendendo. C. 13. D. 93.

284 De jure ergo communi Archidiaconus Dignitatem, id est, præminentiam cum jurisdictione obtinet: & quidem primam post Episcopum. C. 1. h. t. consequenterque præcedit Præpositum, & Archipresbyterum. C. 7. h. t. C. 1. de Officiis Archipresb. quia licet Archipresbyter ratione Ordinis Sacerdotialis sit major Archidiacono, est tamen ipso minor in jurisdictione: nam quamvis antiquitas non se extendebat ultra Diaconos Archidiaconi jurisdictione, postea tamen ad universum Clerum Sacularem, & totam Diocesim protensa fuit. C. 7. h. t. non tamen ad Monasteria, nisi præscriptio probaretur. C. fin. h. t. ipse enim est Episcopi Vicarius natus, & perpetuus habens jurisdictionem ordinariam, immediate à iure, & quidem distinctam à jurisdictione Episcopi, ac propterea ad ipsum ab Archidiacono appellatur: in quo differt à Vicario Generali Episcopi, cujus jurisdictione immediate ab Episcopo proximit: imo est eadem cum illius jurisdictione, & est idem utriusque Tribunal, ac proinde à Vicario non appellatur ad Episcopum. C. 3. de Appellat. in 6. Si ergo nunc Archidiaconus jurisdictionem habeat, & curam animarum debet habere 25. annos saltem inceptos. C. 7. §. Inferiora, de Elect. debetque esse Doctor, vel Licentiatum in Theologia, vel Jure Canonico. Trid. sess. 24. de Ref. c. 12. Si cura animarum careat sufficit habere 22. annos completos; arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.

285 Ad Archidiaconum spectat providere, ut omnia Ecclesiastica officia ritè peragantur, pertinenteque Acolythos ordinare, eorum officia dividere. C. 2. h. t. vasa Ecclesiæ utibus destinata custodire. C. 3. h. t. Parochiam propriam singulis annis visitare. C. 6. h. t. Et quolibet triennio debet ipse, si Episcopus non potest, parochiam universam circumire, & cuncta, quæ emendatione indigent, ad vicem sui Episcopi corrigere, & emendare. C. 1.

h. t. Hodie ex Trid. sess. 24. de Ref. cap. 3. visitatio Diocesis est reservata Episcopo, vel ejus Vicario Generali, vel Visitatori. Debet etiam quæ emendatione indigent, corrigere; jurgia singulorum audire, non vero majora, & magis ardua, judicare. C. 7. h. t. promovendos ad Sacros Ordines, & beneficia Ecclesiastica examinare debet, & postea eos Episcopo fittere. C. 7. h. t. sed jam hoc examen est reservatum Episcopo. Trid. sess. 7. de Reform. cap. 5. Legit Evangelium in Missa solemniter, vel legendum committit alteri Diacono, quando Episcopus celebrat. C. 2. h. t. immittit in actualem possessionem Abbates, Beneficiarios, & Abbasillas post decretam immisionem ab Episcopo. C. 9. h. t. non verò potest, sine speciali Episcopi mandato alicui committere curam animarum; ac proinde non habet institutionem, quem autorizabilem Doctores vocant. C. 4. h. t. nec dare litoras dimissorias, vel commendatitias. C. 8. h. t. nec potest Censuras Ecclesiasticas infligere. C. 5. h. t. Et ibid. Gonz. plures Textus, & DD. citans, nisi ubi talis consuetudo viger, & ita intelligendi veniunt. Text. in C. 7. de Præbend. C. 1. de Bo, qui fuerit. L. 4. tit. 6. p. 1. ibi: *Otroso el Archeidiano riera poderia de vedar, & descomulgar.* Et notat Greg. Lapi. ibid. quod hæc Lex debet intelligi, quando hoc habet Archidiaconus ex consuetudine, ut de Senonensi, Rhemensis, & alijs Archidiaconis, qui ex consuetudine Censuras infligere possunt, probat Gonz. in C. 5. h. t. in 6. quæ omnia, & alia latè constant ex nostro Titulo, & C. 4. tit. 6. p. 1.

286 Hodie tamen omnis ferè potestas, & jurisdictio, quam habebant Archidiaconi extincta est, vel ipsorum incuria, vel Episcoporum potentia. Ut ergo sciamus, quotusque ejus autoritas, jurisdictione, vel officium pertingat, uniuersusque Ecclesiæ examinanda est consuetudo: In nostra Hispania in qualibet Ecclesia Cathedrali plures sunt Archidiaconi, qui totam Diocesim in certas partes divisam, tanquam perpetui, & intumlati Vicarij gubernant. Et eum nullus in tota Hispania hanc Juris communis potestatem retineat, celsat obligatio, quod sint Doctores, vel Licentiatum juxta Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. Barbos. de Canonis. C. Dignit. tit. cap. 5. n. 8. & 9. Et etiam Archidiaconus principalis Ecclesiæ præceditur tam in Choro, quam extra illum à Vicario Generali Episcopi. Ex Declarat. Cardini. apud Barbos. ubi supr. n. 55. In aliquibus

Ecclesijs obit ejus officium Archipresbyter, vel Decanus, vel Vicarius Generalis: In nostra Hispania quoad jurisdictionem locum Archidiaconi obtinet Vicarius Generalis Episcopi: quoad primam Dignitatem ejus loco succedit Decanus, qui abs dubio post Episcopum primam obtinet Dignitatem, saltem ex consuetudine. L. 3. tit. 6. p. 1. ibi: *Decan es el primero porsonage, & el mayor en algunas Eglefias Cathedralis; à fuera del Obispo: & Decanus en latin tanto quiere decir, como omie vieja, & muy cano: & bien usai, como el ome, que es cano, & debe ser sesuda por derecho, & aoffesegado, & de buenas maneras.* Et licet in Jure Canonico non agatur specialiter de officio Decani, & de ejus jurisdictione, sit tamen de eo mentio, in C. 55. de Appellat. & alibi. Aliquando hanc primam Dignitatem obtinens, dicitur Præpositus, aliquando Prior: juxta variarum Ecclesiarum consuetudinem. L. 3. tit. 6. p. 1. Apse enim est caput Capituli Ecclesiastici, & tam in ipso, quam in Choro præest: mandatque incipi officia, facit signum excedendi à Choro, citat, & congregat. Canonicos ad Capitulum, aliaque hujusmodi facit, prout in unaquaque Ecclesia induxit consuetudo: Ad hæc Dignitatem obtinendam nullus gradus in Theologia, vel Jure Canonico requiritur. Barbos. de Canonis. C. Dignit. cap. 6. Machad. in Sum. lib. 4. p. 4. trat. 6. dor. 6. Et licet in L. 3. tit. 6. p. 1. dicat Rex N. Alphonsus, Decanum esse Judicem Ordinarium, & polleatque Censuras infligere: hoc jus jam contraria consuetudine est abrogatum, nec credo, aliam jurisdictionem habere, quam quandam æconomicam potestatem: erga Canonicos, & alioque de Capitulo. Greg. Lapi. ibid. ubi fuerit Ordinarius. Reliqua dicemus in Tit. sequenti: nam in ferè omnibus hi Decanum Archipresbyteris conveniant. L. 8. tit. 6. p. 1. licet non in omnibus nobis ipse monogitica fieri, immo in

TIT. XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

287 **A**rchipresbyter Græcè, Latine Primus, vel Princeps Presbyterorum dicitur, quia Presbyteris præest. C. 1. D. 25. L. 8. tit. 6. p. 1. ibi: *Archiepescro tanto quiere decir como Cabdillo de Presbiteros: esto es, porque tiene poder sobre ellos en las cosas que adelante dixeremos.* Et hac ratione debet Ordinem Sacerdo-

talem habere, vel saltem intra annum ab electione suscipere. *Clem. 2. de Etate, & qualitat.* Quando plebs, vel Populus non erat numerosus; unus tantum Presbyter præponebatur, qui *Parochus*, & *Plebanus* dicebatur: quando verò plebs erat numerosa, plures præponebantur Presbyteri. Et qui illis præerat Archipresbyter vocabatur. Et aliquando dicebatur *Decanus*. *C. 7. de Offic. Archid.* quia plerumque *deorum Presbyteris* præponebatur, vel potius, quia jam *Decanus* dicitur ille, qui alicujus ordinis primus, & præcipuus est. *L. 3. tit. 6. p. 1. E aun Decanus en latin tanto quiere decir en nuestro language, como Cabdillo de diez, Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 6. n. 8.* Archipresbyter ergo vicem Episcopi in spiritualibus gerit. *C. 2. C. 3. h. t. L. 8. tit. 6. p. 1.* ac propterea *Vicarius natus* Episcopi in spiritualibus dicitur, gaudetque jurisdictione ordinaria, utpote a jure ratione officij habita. *Barbof. de Canon. & Dignitat. cap. 6. n. 24.* Archidiacono subest. *C. 1. h. t.* Nam licet major sit Archidiacono ratione ordinis. *C. 24. D. 93.* tamen est minor ratione jurisdictionis: nec repugnat, aliquem esse alio inferiorem, & superiorem ex diversis respectibus. *L. 1. C. de Offic. Vicar. C. fin. D. 39.* ubi Diaconus præfertur Sacerdoti, quando locum Metropolitanum obtinet, cum alias ipsi non deberet præferri ratione gradus.

288 Archipresbyter alius est *Urbanus*, alius *ruralis*. *Urbanus*, seu *Civitatensis* est, qui Presbyteris in urbe Episcopali præest, diciturque *Decanus* Ecclesiæ Cathedralis. *L. 8. tit. 6. p. 1.* habetque saltem personatum, id est, præeminentiam inter Canonicos, & alios Clericos, vel Dignitatem latè dictam; & hinc potest ipsi à Papa causa delegari. *C. 11. de Rescript. in 6.* in nostra Hispania, ut jam diximus, habet primam Dignitatem, vel potius personatum, post Episcopum. Siquidem est caput Capituli. *Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 9. n. 19.* majorque Archidiacono est in dignitate. *L. 8. tit. 6. p. 1.* ibi: *E los primeros Arciprestes, que tienen logares de Deanes, son mayores que Arcedianos.* Archipresbyter ex suo munere curat officia Sacra in cantanda Missa, & Episcopo celebranti assistit; & præcipit Sacerdotibus, ut induant se vestimentis Sacris, & qualiter ad Missam procedant. *C. 3. h. t.* Etiam curat, ut Sacerdotes principales Ecclesiarum baptismalium, qui dicuntur Cardinales in *C. 2. h. t. Gonz. ibid.* in Sacramentis administrandis probè se gerant:

poenitentiam alijs Sacerdotibus solus ipse de jure injungit: quoad ceteros habet jurisdictionem ordinariam in foro interno. In absentia Episcopi ipse celebrat solemniam Missarum, dicitque Collectam, seu orationem, quæ in fine cujuslibet horæ Canonice dicitur. *C. 1. h. t. Gonz. ibid. n. 6.* vel alij commendat Missam, & Collectam. *L. 8. tit. 6. p. 1.* Sed non semper uni, sed successively per ordinem inter Dignitates, & Canonicos distribuit, gradu cujusque, & consuetudine servatis: ipse etiam inchoat cantum horarum, impertitur benedictiones ad Lectiones. Cum publici poenitentes feria 4. Cinerum ab Ecclesia expelluntur, eorum Capitibus cinerem imponit, & quando in feria 5. in Cœna Domini reconciliantur in ingressu Ecclesiæ, eos præsentat Episcopo: imò, & eos solemniter absolvit, vel reconciliat non tamen inconsulto Episcopo: fontes benedicit, infirmos, injungit, præcipit Custodi, ut non desit in Sacratio Eucharistia pro infirmis, & providet, ne forte aliquis sine confessionis, & Eucharistia Sacramento moriatur. *C. 2. C. 3. h. t. L. 8. tit. 6. p. 1.* Et ut notat *Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 6. n. 18.* Archipresbyter est quasi Parochialis Sacerdos omnium post Episcopum. Sed hodie ex *Trid. Sess. 24. de Res. cap. 8.* in Cathedralibus debet Poenitentarius pro confessionibus audiendis institui. In Ecclesijs Collegiatis, qui obtinet primam Dignitatem, sive Decanus, sive Præpositus, sive Abbas, sive Prior vocetur jurisdictionem externam, subordinatam Episcopo, exercet in Clericos suæ Ecclesiæ, nisi aliud ex privilegijs, vel consuetudine habeatur. *Maehad. in Sum. L. 4. p. 5. tr. 3. Archipresbyter ruralis*, qui etiam *Decanus ruralis* dicitur, nec Dignitatem, nec personatum obtinet; quia præminencia non gaudet, nec externa jurisdictione. Regulariter quidem eligitur ab Episcopo. *C. fin. h. t. L. 8. tit. 6. p. 1. Barb. de Canon. & Dignit. cap. 6. n. 28.* ejus officium est non solum imperiti vulgi, verumetiam Presbyterorum, qui per minores Titulos, (sic Ecclesiæ Parochiales vocantur. *Gonz. in C. fin. h. t. n. 4.*) habitant, sollicitudinem gerere, minoreque controversijs, vel inter Parochianos, vel inter Parochos, aliosque Clericos sibi subiectos decidere, sine figura tamen judicij: majores autem, quæ sine speciali cognitione nequeunt expediri, ad Episcopum deferre: nec aliquid contra ejus Decretum ordinare præsumet. *C. fin. h. t. L. 8. tit. 6. p. 1. Barbof.*

de Jur. Eccles. Et de Canon. & Dignitat. cap. 6. ex n. 27. Denique in quacunque Ecclesia debet servari, quod consuetudo legitima circa hoc officium, seu Dignitatem introduxit, quoad jurisdictionem, & alia. *L. 8. t. 6. p. 1. & ibid. Gregor. Lop. v. Segun la costumbre usada.* Ubi ait: *Statutur, ut hic videt, in hoc consuetudini Ecclesiarum: & communiter videmus, in his Regnis non esse in Ecclesijs Cathedralibus nisi in paucis istam Dignitatem Archipresbyteratus.*

in *C. 11. de Excess. Prælat.* absente Præcentore incipit tantum in Choro. *Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 9. n. 11.* Succentoris assignatione, qui debet esse in Musica peritus, suæ obligationi satisfaciunt Præcentor, etiam si Musica peritiâ non habeat. *Maehado in Sum. lib. 4. p. 4. tr. 6. doc. 4.* qui ait, Præcentoriam in Hispania non solum esse Dignitatem. *C. 8. de cons. t.* sed etiam Superiorem Scholasticam, de qua alibi.

TIT. XXV.

De Officio Primicerij.

289 **U**T Divina Officia, Divinaque laudes majori cultu, ordine, decentia, & uniformitate canerentur, fuerunt instituta in Cathedralibus Scholæ Cantorum, & qui eis præerat, aliquando per antonomasiam *Cantor*, aliquando *Præcentor*, aliquando *Primicerius* dicebatur: vel quia primus in cera, vel tabula cerata Cantorum erat descriptus; vel potius, quia erat primus inter alios Cantores. *Gonz. in C. un. h. t. n. 1. Barb. de Canon. & Dignit. cap. 9.* Hispanè dicitur: *Chantre* à voce Gallica: *Chanteur*. Etiam appellatur in aliquibus Ecclesijs: *Capitcol.* quasi caput Chori cantorum. *L. 5. tit. 6. p. 1. Covar. Thesaur. Lingue Hisp. v. Capitcol.* Ejus officium describitur in *C. un. h. t.* ibi: *Ad ejus curam pertinet, ut præstet in docendo Diaconis, vel reliquis gradibus Ecclesiasticis, ut ipse discipline, & custodia insinat, sicut pro animabus eorum rationem redditurus, & Diaconis donet lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent, & de singulis studium habeat, ut in quacunque re capacem sensum habuerit, absque ulla vacet negligentia, aut à quo ipse fuerit, instruantur.* *C. 1. D. 25. L. 5. tit. 6. p. 1.* ibi: *Chantre tanto quiere decir, como Cantor, & pertenesce à su officio de començar los Resposos, & los Hymnos, & los otros cantos, que ovieren de cantar tambien en los Cantares, que se ficieren en el Coro, como en las Processiones, que se ficieren en fuera del Coro, & el debe mandar à quien lea, & de cante las cosas, que fueren de leer, & de cantar, & à él deben obedescer los Acolitos, & los Lectores, & los Psalmistas: E la mayoría de esta Dignidad se puede mejor saber por costumbre usada de las Eglefias, que por otro derecho escripto. Succentor, Hispanè: Sochantre, de quo fit mentio*

TIT. XXVI.

De Officio Sacristæ.

290 **S**acrista de Jure Communi nec Dignitatem, quia non jurisdictionem; nec personatum, quia non præminentiam, obtinet: sed est de consuetudine in aliquibus Ecclesijs. *arg. C. 32. de Offic. deleg. C. 11. de Foro Compet. junct. C. 11. de Rescript. in 6.* In Hispania Dignitas est, & quidem ultima inter ceteras. *Maehad. lib. 4. Sum. p. 4. tr. 6. doc. 6.* Ad ipsum ergo pertinet Custodia Sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, seu totius Thesauri Ecclesiastici, necnon quæ ad luminaria pertinent, sicut in cera, sicut in Oleo. *C. un. h. t. C. 1. D. 25. L. 6. tit. 6. p. 1.* Dicitur *Sacrista*, quia habet curam rerum sacrarum. *L. 6. tit. 6. p. 1.* Etiam dicitur *Thesaurarius*, quia totius Thesauri curam habet. *C. 1. D. 25.* Et sic in nostra Hispania appellatur. *L. 6. tit. 6. p. 1.* ibi: *Thesoro tanto quiere decir, como guardador de Tesoro: eà à su officio conviene de guardar las Cruces, & los Calices, & las Vestimentas, & los Libros, & todos los otros Ornamentos de Santa Eglefia. Etiam dicitur *Grexæ Cimeliarcha* in *L. fin. C. de Bonis Interd. jud.* quia servat Cimelium, quod significat omne id, quod reservatur, & custodiendum reconducitur. *Gonz. in C. un. h. t. Barb. de Canon. & Dignit. cap. 7.**

TIT. XXVII.

De Officio Custodis.

291 **C**USTOS est quasi Minister Sacristæ, seu Thesaurarij, & aliquando ejus nomine venit, & cum Thesaurario confunditur; ut in *C. 2. h. t.* Archidiacono debet obedire: nullam habet Dignitatem, sed subest Thesaurario majori, & ad ejus nutum ponitur: Ad ip-

ipsum pertinet in Horis Canonicis tintinnabula pullare, custodire linteamina altaris, & utensilia Ecclesie, lampades accendere, & extinguere, & panem, & vinum ad Missam preparare. *C. 1. c. 2. b. t. & Gonz. ibid. Barbof. de Canon. & Dignit. cap. 7. l. 6. tit. 6. p. 1.* Et ibid. *Greg. Lop. & Sebast. Ximen. in Concord. in present. tit.*

TIT. XXVIII.

De Officio Vicarij.

292 **V**icarius dicitur, qui *vices alterius gerit*, & in eius locum successit est. *L. 13. ff. de Legation. sic Re. Pontifex Vicarius Christi dicitur C. 2. de Translat. Episc. qui vicem veri Dei gerit in terris. C. 3. eod. licet aliquando lato modo Divi Petri Vicarius appelleretur. C. 30. D. 63. C. 9. l. 9. 7.* Nam tunc Vicarius sumitur pro successore. Vicarius alius dicitur *natus*, datus alius. *Natus*, seu legitimus est ille, qui a lege talis constituitur: sic Archidiaconus, & Archipresbyter sunt Vicarij nati Episcopi. *C. 1. de Offic. Archid. C. fin. de Offic. Archipresb. Datus*, seu *datus* dicitur ille, qui talis constituitur ab homine illum in suum locum substituente. Si Vicarius detur ad beneficii administrationem dicitur Vicarius in *Divinis*, vel *beneficijs*. Si ad jurisdictionem exercendam datur, *Vicarius jurisdictionis* dicitur. Vicarius in *Divinis*, qui fere tantum in beneficijs Parochialibus solet constitui, aliquando in perpetuum, aliquando ad tempus constituitur. Vicarius perpetuus constitui debet, quando Ecclesia Parochialis est perpetuo unita, alteri Ecclesie, Monasterio, Collegio, Universitati, vel alteri pio loco, ita ut Rector principalis, vel non possit, vel non debeat, curam animarum exercere. *C. 30. §. Qui vero de Prabend. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 7.* vel si Parochia valde distans, & numerosum Populum habet. Si enim provenibus abundat, erigitur Ecclesia filialis, & in ea Vicarius perpetuus constituitur.

293 Vicarius perpetuus in Parochiali Ecclesia Canonice institutus equiparatur Parocho, ita ut quodquid de isto in jure statutum est, in ipso locum habeat. *Ch. un. b. t. & late explanat Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. ex n. 18.* Ipsi enim competit actualis Cura, & administratio beneficij Parochialis, etiam presente Rec-

tore principali, qui quidem, invito Vicario nequit se ingerere in administrationem Sacramentorum. Sicque debet habere 25. annos saltem inchoatis, ita ut possit Sacerdotium suscipere intra annum a pacifica Vicarie possessione. *Arg. c. 14. de Elect. in 6. ipseque debetur honor, & prerogativa, quae & ceteris Parochis, ac consequenter easdem obligationes, ac ceteri Parochi, habet. Arg. c. 55. de Reg. Jur. in 6. l. 10. ff. eod. nec ejus beneficium vacat, etiam si Rector principalis mortuus, vel depositus sit, vel aliter amittat beneficium, nisi illud unitum est: nec potest sine culpa removeri a Vicaria. C. 3. b. t. nec a successore beneficiarij, qui ejus institutioni consensit, removeri valet. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6.* Ad Rectorem principale, vel Curam in habitu retinentem, pertinet fructus residuos ex congrua portione Vicario assignata, percipere: ad ipsumque spectat externa defensio, & vindicatio jurum Parochialium in foro contentioso: reparatio fabricae; imo, & Cura actualis, si Vicaria perpetua vacat per mortem, privationem, vel renuntiationem: Tuncque potest vel per se ipsum, vel per Vicarium temporalem, donec alium praesentet, administrare. *Arg. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18.* Ad ipsumque cultorem principalem regulariter pertinet nominare, vel praesentare Vicarium perpetuum. *Arg. c. 1. b. t. & ita declaratum est a Congreg. Cardin. Garc. de Benef. p. 9. cap. 2. n. 294. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. n. 35. & 45.* quod si beneficium sit juris patronatus accedere debet consensus patroni. *C. 3. de Eccles. adific. Episcopus examinat Vicarium praesentatum, an sit idoneus, etiam si praesentetur ad Ecclesiam, vel Capellam unitam Monasterio, vel Ecclesie exemptae. Nam adhuc Vicarius, & Populus, cui praeficitur, subditi sunt Episcopi. C. 7. de Prioch. leg. in 6. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. n. 47.* ad ipsumque Episcopum pertinet institutio talis Vicarij. *C. 3. de Eccles. adific. c. 3. b. t.* siquidem talis Vicaria perpetua est verum beneficium Ecclesiasticum: ipseque Episcopus competit congruam portionem tali Vicario assignare, quae plerumque est tertia pars fructuum, vel major, vel minor arbitrio ipsius. *C. 2. de Supplend. negl. C. 12. c. 39. de Prabend. Trid. sess. 7. de Ref. cap. 7.* & in decimis correspondentibus tali portioni habet Vicarius suam intentionem fundatam; sicut Rector principalis in residuis. *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. n. 39.*

294 Vicarius temporalis dicitur ille, qui in locum alterius sufficitur ad tempus, vel ad constituentis voluntatem. Talis Vicaria non est beneficium, nec rituum beneficialis, sed est simplex salariatum, vel stipendium, ac proinde non potest quis ad ejus titulum ordinari: nec talis Vicarius regulariter tenetur ad recitationem horarum, & consequenter non gaudet prerogativis, & emolumentis, quibus Vicarij perpetui gaudent. Vicarius temporalis constituitur: 1. quando Rector principalis non habet aetatem legitimam, *C. 2. de Aetate, & qualitat. 2.* quando idem Clericus duo beneficia curata ex dispensatione obtinet. *C. 48. 16. q. 1. 3.* si beneficiarius est ingressus religionem, dum novitatum agit. *Arg. c. 12. de Prabend. 4.* si beneficiarius ex legitima causa absens sit: *v. gr.* ob peregrinationem in pia loca, praecipue in Terram Sanctam. *C. fin. de Poto, & voti redempt. vel studiorum causa. C. 4. de Cleric. non resid. 5.* quando non potest per se ipsum administrare ob infirmitatem. *C. 3. de Cleric. error. vel ob idiotiam diversitatem. C. 14. de Offic. Ordin. vel ob senectutem. C. 17. 7. q. 1.* vel ob alias justas occupationes. *C. 15. C. 16. 7. q. 1. 6.* quando per mortem, vel renuntiationem Rectoris vacat Ecclesia. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 18. 7.* quando Divinus cultus ex constitutione Vicarij augendus speratur. *C. 15. C. 16. 7. q. 1.* sed hi potius sunt cooperatores quam Vicarij, solimque habent jurisdictionem delegatam, sed cum eis competat ratione muneris; quantumvis temporalis, & sit eadem cum jurisdictione Rectoris principalis, habetur, & reputatur quasi ordinaria, possuntque ipsi Vicarij temporales sibi Vicarium temporalem substituere, eique jurisdictionem, quam ad unitatem causatum habent, delegare possunt quoad partem, regulariter tamen non tamen, ut ex D. Thom. & alijs probat *Saneb. de Matr. lib. 3. D. 31. n. 15.* nisi aliud habeat consuetudo, vel licentia Rectoris principalis accedat; sed nec ipsi Vicarij temporales, imo nec perpetui alium Vicarium perpetuum sibi substituere possunt. *C. 4. b. t. C. 1. eod. in 6. Gonz. in c. 4. b. t. n. 3. lato Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. ex n. 50.* Nominatio Vicarij temporalis pertinet. 1. ad Episcopum in Ecclesijs sibi subiectis, si beneficium vacat per mortem, renuntiationem, vel depositionem Vicarij perpetui. 2. Praelatus Ecclesiae, seu beneficij, cui beneficium Parochiale est unitum potest Vicarium

constituere: nec requiritur institutio, vel collatio: sed sufficit Episcopi licentia, & approbatio ad Sacramenta administranda, potestque Episcopus talem Vicarium examinare. 3. quando Parochus, vel aliquid justum impedimentum non potest duo officio fungi, potest ad breve tempus autoritate propria sibi constituere Vicarium: si vero sit ad tempus longius duobus, vel tribus mensibus, debet Vicarij constitutio ab Episcopo approbari. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 6. ex n. 50.* Vicaria temporalis finitur, quando Parochus redit ad suum officium: deinde morte, renuntiatione, & depositione non solum ipsius Vicarij, sed & Parochi, seu Rectoris: & hinc oritur praecipua differentia inter Vicarium perpetuum, & temporalem: nam Vicarius perpetuus solum ab Episcopo instituitur, & destituitur. *C. 3. b. t.* Vicarius tamen temporalis constituitur, & amovetur ad nutum constituentis. *Gonz. in c. 2. b. t. num. 7.*

295 Vicarius Episcopi, non legitimus, seu natus, sed datus, vel datus, est ille, qui Episcopi vices gerit in jurisdictione exercenda, & ab ipso, sine consensu Capituli, eligitur. Episcopus tamen non tenetur necessario sibi Vicarium constituere, ut contra aliquos tenet *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 15. n. 16. cum alijs.* poterit tamen si velit, duos, vel plures Vicarios Generales; & quidem singulos cum jurisdictione insolidum constituere. *Glos. in Ch. 2. de Rescript. v. Principalis. Barbof. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 15. n. 31.* Et sic de facto accidit in Diocesi Toletana. Vicarius ergo est duplex: autus *Generalis*, alius *foraneus*. *Generalis* est ille, cui jurisdictionis Episcopalis exercitium tam quoad jurisdictionem contentiosam, quam voluntariam committitur, cum quadam generali potestate: Et aliquando dicitur Officialis Episcopi. *C. 2. de Consuet. in 6. c. 1. b. t. in 6. Hispani: Provisor* Communiter appellatur. Ex stylo Curiae Romanae *Officialis* vocatur ultra Montes Alpinos, ut in Hispania, Gallia, Germania, Polonia, Anglia, & in ultramarinis, ut in Africa. Vicarius tamen vocatur in delegationibus missis ad Italiam, Ungariam, Dalmatiam, Epyrum, Cretam, Siciliam, Corficam, & partes Orientales. *Barbof. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 15. n. 12.* Vicarius Generalis Episcopi habet Dignitatem, hoc est, praesentiam cum jurisdictione; potestque esse delegatus Pontificis praecedique omnes Praelatos Episcopo

inferiores, etiam Archidiaconum, Abbates, Archipresbyteros, & ceteros Canonicos, etiam Episcopos, non solum in choro, sed ubilibet in distributione palmarum, aliisque functionibus. Si tamen Vicarius est Canonicus, & ut talis indutus assiluit, debet in suo proprio loco, juxta suam antiquitatem, & gradum, sedere. Etiam precedit omnes Commensarios, & Porelites, ac Judices temporales suae Diocesis: non tamen Gubernatores Civitatum, quae Provinciarum sunt capita. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 15. ex n. 34. Et de Offic. Episc. alleg. 54. n. 144. ubi plures Declarationes refert.*

296 Vicarius Generalis habet eandem jurisdictionem cum Episcopo, sicutque ordinariam, datam a jure, supposita electione, & assignatione Episcopi. *L. 6. ff. de Jurisdic. ut contra Sotum in 4. D. 18. q. 4. German. & alios tenent Glof. in c. 2. b. t. in 6. v. Officiale. D. Anton. 3. p. t. 19. cap. 10. §. 2. Gouar. Greg. Lop. Azevedo, & plurimi cum Sanchez, de Matr. lib. 3. D. 29. n. 3. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 26. Gonz. in c. 5. b. t. n. 5. ubi idem de Proprietoribus dicit. Siquidem Vicarij non habent jurisdictionem ratione delegationis, sed ratione officij, quod obtrinent. C. 2. b. t. in 6. C. 3. de Tempor. ordin. in 6. ac proinde lex eis dat jurisdictionem, quae consequenter ordinaria censetur. *L. 6. ff. de Jurisdic. nec obstat, quod jurisdictione ordinaria sit penes Episcopum: quia apud ipsum est nomine proprio, & principaliter, & hinc perpetua; penes Vicarium vero secundario, & nomine Episcopi, & hinc ad nutum ipsius revocabilis. Sicut apud unum potest esse dominium directum alicujus rei, vel possessio civilis, apud alium vero dominium utile, & possessio naturalis. Et sicut Legati, tam missi, quam nati, licet Vices Pontificis gerant, habent ordinariam jurisdictionem. C. 1. de Offic. Legat. & Archidiaconi, qui Vices Episcopi gerebant, jurisdictione gaudebant ordinaria. C. fin. de Offic. Archidiacon. sic Vicarij jurisdictionem obtinent ordinariam, licet Episcopi Vices gerant. Idem Tribunal cum Episcopo habent, nec a Vicario Generali ad Episcopum appellatur, sed ad Archiepiscopum appellari debet. C. 2. de Consuet. in 6. C. 3. de appellat. in 6. Similiter Vicarius Scholasticus Salmantini, qui Judex studij dicitur. Hispanie: *Juez del Estudio*, idem cum Scholastico, seu Magistro Scholae Tribunal constituit: ejusque jurisdictione ordinaria, licet aliquomodo limitata, est. *Esco-***

bar. de Pontif. & Reg. Jurisd. cap. 31. Mendo de Jur. Academ. lib. 1. ex n. 183. idem est de Proprietoribus.

297 Licet Episcopus possit sibi eligere Assessorem, & Consultorem Laicum in Causis Criminalibus contra Clericos, non tamen potest Vicarium Laicum eligere, sed Vicarius debet esse Clericus: *quia indecorum est, Laicum Vicarium esse Episcopi, & Saculares in Ecclesia judicare. c. 22. 16. q. 7. sed non necessario in Sacris debet esse constitutus, sufficit, si primam habeat tonuram, & habitum Clericalem deserat. Et sic in Nostra Hispania practicatur, quamvis Clemens VIII. Ordinem Sacrum necessarium esse statuerit; sed in hac parte non est univ ersaliter admittenda Clementis constitutio; debet tamen attingere 25. annum, quia curam animarum habet: nec potest esse Vicarius conjugatus, cum tales non plene gaudeant privilegijs Clericalibus. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 4. debet esse in Jure Canonico Doctor, vel Licentius, vel alias quantum fieri poterit, idoneus. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. potest esse Canonicus Regularis, vel Monachus cum consensu sui Praelati, non tamen Religiosus ex aliquo Ordine Mendicantium. Clem. 1. de Regul. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 12.**

298 Vicarius Generalis ratione sui officij potest expedire omnia negotia, & causas, quae ad ordinariam, non vero ad delegatam, jurisdictionem Episcopi pertinent, nisi speciale mandatum requirant. *C. 2. c. fin. b. t. in 6. cognoscitur, de causis matrimonialibus. C. fin. de Cognat. Spirit. C. 1. de Frigid. & Malefic. & potest matrimonijs assilere, & in denuntiationibus matrimonialibus, justa causa interveniente, dispensare. Nam in Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1. nomine Ordinarij intelligitur, & ipse: uno verbo: regulariter potest omnia, quae potest Episcopus, ut Judex Ordinarius, nisi aliqua ratione inveniantur excepta. Et hac causa: non potest liberè conferre beneficia, nec ad ea praesentare, nec Vicarias perpetuas valere conferre, quando hoc ad Episcopum spectat. *C. fin. b. t. in 6. nec praesentare ad beneficium juris patronatus pertinens ad praesentationem Episcopi, nec admittere beneficiorum resignationes, quia non habet potestatem destituendi. C. 2. b. t. in 6. nec litteras dimissorias dare, nisi Episcopo in remotis agente. C. 3. de Tempor. ordin. in 6. nec Ecclesias, vel beneficia unire, vel dividere, erigere, vel supprimere: nec imperitis Rectoribus Vicarios**

Coad-

Coadjutores dare, nec novas erigere Parochias, nec pensionem beneficij imponere, nec jus Patronatus alicui reservare, nec donationis juris Patronatus Decretum, seu auctoritatem interponere, nec Economum Ecclesiae constituere, nec deponere, a beneficijs, officijs, vel ordine, nec Ecclesias vetustate collapsas in matrices, vel alias viciniores transferre: nec dispensare in irregularitatibus, nec a censuris absolovere, quamquam ex delicto occulto procedant. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. nec interdicta relevere: nec a peccatis Episcopo reservatis absolovere. C. 2. de Penit. in 6. nec haeresim punire, nec ab ea absolovere, etiam de licentia Episcopi: nec publicas poenitentias imponere, nec poenitentes publicos reconciliare, nec explorare voluntatem puellae volentis habitum regularem suscipere, vel professionem emittere: nec auctoritatem interponere adificationis Monasterij per testatorem relicti: nec concedere facultatem confessiones audiendi, nec dispensare in votis, juramentis, observatione festorum, vel jejuniorum, vel in statutis Diocesis, vel Legibus Ecclesiasticis: nec visitare Diocesium, nec congregare Synodum, nec ultimas voluntates exequi, nec res Ecclesiasticas alienare, nec alienationibus, vel transactionibus rerum Ecclesiasticarum praestare consensum: nec restituere in integrum, nec auctorate exemplum ex originali transumptum, ut eandem vim, & auctoritatem cum originali habeat: nec reprehensas concedere, nec bona Clericorum confiscare, nec poenas corporales in pecuniarias convertere: nec tractare causas feudales, & criminales graviores, nec indulgentias concedere, nec charitativum subsidium, nec quartam decimarum, vel mortuorum, nec Synodaticum imponere. Et etiam Vicarius sit Episcopus consecratus, non potest Ordines conferre, nec consecrare Ecclesias, Calices, vel Altaria, nec alia, quae sunt ordinis exercere, nec commendare alteri Episcopo, quia tantum in jurisdictionalibus, non in eis, quae ordinis sunt, gerit vices Episcopi: quae omnia probantur ex varijs Declarationibus Cardinalium, & a pluribus DD. licet aliqui in aliquibus contradicant. Latè *Barbos. de Jur. Eccl. l. 1. cap. 15. & principie de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 59.**

299 Denique in omnibus debet servari tenor concessionis Episcopi. *Arg. l. 5. ff. mandat. & consuetudo legitime introducta. C. 8. de Consuet. Et Episcopus debet suo Vicario mandatum inscriptis da-*

re: cuius formam affert *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 56. Ut vero possit Vicarius ea, quae speciali mandato indigent, exercere, debent sufficienter exprimi in mandato: nec sufficit, quod constituitur, his clausulis adjectis: *Cum plenaria, & libera potestate: quod possit ea, quae potest Episcopus, & speciale mandatum requirunt. Arg. C. 4. de Procur. in 6. Si vero expressa una causa, quae requirit speciale mandatum, adjiciatur: & omnia alia possit, quae speciale mandatum requirunt. Solum posset minore, & aequalia expressis requiruntia speciale mandatum: ad majora vero esset necessaria nova, & specialis concessio. Arg. c. 15. de Rescript. Cl. 2. de Praerog. in 6. In his vero, quae Vicario specialiter committuntur, non ordinaria, sed delegata jurisdictione gaudet. Officium, & jurisdictione Vicarij finitur per ipsius Vicarij mortem, vel renuntiationem tacitam, vel expressam, vel si Episcopus eum revocet, vel alium Vicarium private constituat. Et etiam per mortem, renuntiationem, ingressum in Religionem, captivitatem, relegationem, permutationem, depositionem, vel translationem Episcopi, etiam quoad causas ceptas, & pendentes: & per excommunicationem, suspensionem, vel interdictum ab ipso, vel ab Episcopo incursum suspenditur pro illo tempore Vicarij jurisdictione, & quod illa censura durante fiat, erit irritum: nam cum utriusque jurisdictione sit eadem, finita jurisdictione Episcopi pro ipsius mortem vel translationem; vel suspensa per censuram, etiam Vicarij jurisdictione finitur, vel suspenditur. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 145. Vicarius Episcopi finito officio, non tenetur ad Syndicatum, ut declaravit Greg. XIII. si in officio desinat in particularium prejudicium, Episcopus cognoscit, & punie, sicut ceteri Magistratus suos Officiales puniunt. C. fin. §. Nulli, 2. q. 6. si jurisdictionem Metropolitanam offendat, v. g. non deferendo appellationi, vel inhibitionem spernendo, ab ipso Metropolitanano censura Ecclesiastica coercetur. C. 1. b. t. in 6. Episcopus tenetur suo Vicario salarium praebere, etiam si de eo non sit conventum: quia nullus suis stipendijs militare tenetur. C. 2. 28. q. 1. Barbos. de Jur. Eccl. lib. 1. cap. 15. n. 45. & 46.***

300 Capitulum, Sede vacante, tenetur omnino ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. infra octo dies post mortem Episcopi, Officiale, seu Vicarium constituere, vel existentem confirmare. Si licet factum*

fuerit ad Metropolitanam electio devolvitur: sed cum Tridentinum non auferat Capitulo potestatem, hinc est, quod etiam termino octo dierum lapsio, si adhuc Metropolitanus non elegit, si Capitulum Vicarium eligat, mora purgata, valida erit electio, cum non irritetur à Concilio. Sic *Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 7. & alij*. Hic terminus octo dierum currit Capitulo, etiam à die scientiæ translationis Episcopi ad aliam Ecclesiam, quando à S. Pontificè fuerit Episcopus à vinculo prioris Ecclesiæ absolutus. Ante Vicarij electionem infra octo dies faciendam, administratio jurisdictionis eo tempore penes totum Capitulum relictur, non autem penes primam Dignitatem, scilicet, Decanum. Et licet de Jure Communi non teneatur Capitulum constituere Vicarium, cum per se possit jurisdictionem exercere; secus est hodie: quippe ultra octo dies, non potest differre Vicarij Constitutionem cum Trid. dicat, quod omnino Vicarium constituere teneatur. Non tamen ipse est necessario eligendus de gremio Capituli; tamen cæteris partibus extraneo præferendus erit, si idoneus in Capitulo invenjatur. Et quidem unus tantum eligendus est, non plures, nisi flante consuetudine immemorabili, quæ debet attendi, ita declaratum à Sacra Congreg. ait *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 156.* quamvis Panvin. tenet, posse Capitulum libere unum, vel plures Vicarios eligere. In ejus electione non est necessario servanda forma *Text. in C. 42. de Electi. nec forma Trid. sess. 25. de Regul. cap. 6.* sufficit, si in aliquem major pars Electorum contentiat, ex *Declar. Carain. Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 22.* Vicario constituto providendum est de competenti salario ex bonis Ecclesiæ vacantis, nisi sit Canonicus, vel de gremio Ecclesiæ. Si Canonicus sit, & à choro ablit, inspecto juris rigore, non potest percipere distributiones quotidianas. Si in choro assit, debet in proprio loco suæ antiquitatis sedere: si non sit Canonicus sedet in sede portatili, non in prima sede, & in Processionibus à prima Dignitate post Episcopum præferitur. Eligi ergo debet juxta *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. Qui saltem in Jure Canonico sit Doctor, vel Licenciatus, (& quidem in aliqua Universitate) vel alias, quantum fieri poterit idoneus, si sen cui factum suo sit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in*

exempta Æconomus, & Vicarium idoneus possit constituere. Formulam creandi Vicarium Capitularem affert, & explicat *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. ex n. 159.* Si electus non sit Doctor, vel Licenciatus in Jure Canonico in aliqua Universitate, erit nulla electio, juxta *Garc. de Benef. p. 5. cap. 7. n. 10.* & certe Doctor Sacrorum Canonum quoad hoc Officium, præferitur Magistro, vel Doctori Theologia. Electio facta de Theologo, omisso Canonista, erit nulla, *Barbos. Valenz. & alij*, qui varias Declarationes afferunt. Sed cum in Concilio datur arbitrium Capitulo alium idoneum eligendi, & hoc per particulam disjunctivam, ad cujus verificationem qualibet pars disjuncta sufficit. *C. 4. de Ref. ipt. inde tenendum est, quod electio facta à Capitulo de Theologo, non erit nulla, nec irritanda. Solorz. Polit. Indian. lib. 4. cap. 13. f. 606. alios citans, & praxim Hispaniæ.* Si Vicarius non est Doctor, potest Capitulum ei Doctorem in Consultorem, vel Assistentem designare: alioquin poterit ipse Vicarius Consultorem Doctorem eligere in ealibus, in quibus eo opus sit. A Vicario Capituli non datur appellatio ad Capitulum, quia idem est utriusque Tribunal, & Jurisdictio. *Arg. C. 2. de Consult. in 6.*

301. Quoad cæteras qualitates debet Vicarius Capituli habere easdem, quæ in Vicario Episcopi requiruntur. Est tamen major jurisdictio Vicarij Capitalaris, quam Vicarij Episcopi, & potest sine speciali commissione Diocesim visitare. *Barbos. de Canon. & Dignit. cap. 42. n. 68.* potest tamen Capitulum aliqua reservare alteri deleganda. Capitulum ergo in Constitutione Vicarij, potest ipsi modum, & tempus procedendi præfigere. Nam cum à Capitulo dependeat Vicarij jurisdictio, illam ampliare, & restringere potest: imò potest Vicarium eligere cum clausula, ne per unum tantum annum duret: expedire tamen ut simpliciter constituatur. Et tunc ejus officium durat, quamdiu sedes vacat. Et sic facta electione, in suo officio functum censetur Capitulum, ut non possit Vicarium ad libitum revocare, ut in Hispania servatur: quamvis plures contrarium teneant, & etiam in electione Vicarij Capitulum apposuisset clausulam de non revocando sine causa: quin & si juramentum abjecisset, adhuc possit eam causa, & sine ea Vicarium revocare dicunt, plures Declarationes allegantes. *Vid. Solorz. Polit. Indian. L. 4. cap. 13. f. 606.* ubi plures pro utraque parte recerit. *DD.*

& Declarat. Cardinal. Constitutus verò ob negligentiam Capituli à Metropolitanano, potest ad ipsius Metropolitanani nutum revocari, sicut constitutus ab Episcopo potest ad libitum Episcopi revocari. Et ita declaratum est apud *Barbos. de Canon. & Dignit. C. 42. n. 48.*

302. Vicarius Episcopi, vel Capituli non potest sibi substituere Vicarium, cui totum officium committatur. *C. 4. b. t.* quod non solum de Vicario in beneficio, sed de Vicario Capituli, vel Episcopi, etiam intelligitur à DD. nisi ad breve tempus, nonque nimis frequenter, ob infirmitatem, absentiam, vel aliud justum impedimentum, vel accedente auctoritate Episcopi, vel Capituli; vel unam, vel alteram causam delegare poterit: v. g. si à Capitulo sit electus cum potestate substituendi pro casu infirmitatis, vel absentia: & in alijs similibus casibus. Jurisdictio Vicarij Capituli expirat, postquam novus Episcopus confirmatus est, & Episcopus possessionem accepit. Et ab ipso Vicario, Æconomus, & alij Officialibus Ecclesiæ vacantis rationem exigit Episcopus administrationis, quam habuerunt, Sede vacante, potestque illos punire, si in suo officio deliquerunt, etiam redditis rationibus à Capitulo, vel ab eo Deputatis abolitionem, aut liberationem obtrahunt. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 54. n. 181.*

303. Vicarius Foraneus est ille, qui foris, id est, extra Civitatem residet, & non pro totius Diocesis causis, sed pro una illius parte designatur, habetque officium cum jurisdictione, sed non Dignitatem, cum careat præminencia, ac proinde non præcedit Collegiatum Præpositos: habetque diversum Tribunal, ac Episcopus; appellaturque à Vicario foraneo ad Episcopum, nec habet ordinariam, sed tantum delegatam jurisdictionem ab ipso Episcopo: nec ipse Vicarius foraneus, nec alij Vicarij designati à Prælatis inferioribus Episcopo, possunt esse Papæ delegati, cum careant Dignitate. *Cap. 11. de Rescrip. in 6.*

304. Vicarius Pontificis, qui hodie debet esse Cardinalis, habet jurisdictionem, & quidem tanquam Episcopus, in his, quæ intra Urbem sunt, & extra eam usque ad quadragintamiliaria, de quo fit mentio in *C. 13. de Exces. Prælat.* Quando Pontifex ab Urbe discedit, relinquit in ea Vicarium, seu Legatum, qui habet jurisdictionem tantum intra Urbem ex commissione Pontificis. *z. 5. b. t. Et ibid. Gonzal.*

ex n. 6. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 15. n. 48. Huc potest reduci aliud genus Vicariorum, quos olim Episcopi habebant. Si quidem ipsis quidam Coadjutores dabantur, qui Græcè dicebantur *Chorepiscopi*: fueruntque instituti ad exemplum 72. Discipulorum, continebantque quandam speciem mediam inter Episcopos, & Sacerdotes: majores his, illis verò inferioribus. In pagis, & in villis erant Episcoporum Vicarij, sicut nunc sunt Vicarij foranei. Et à pagis Chorepiscopi dicebantur, quasi pagorum essent Episcopi, sumpta denominatione à duabus vocibus Græcis. In pagis enim plura munera Episcopalia exercebant, distribuebant elemosinas pauperibus, conserebant Ordines minores, & etiam Subdiaconatum, qui in illis temporibus non erat Ordo Sacer, habebantque animarum curam, aliaque hujusmodi. Sed quia crescente eorum ambitione affectabant, quod est proprium Episcoporum, conferendo Ordines majores, & alia munia Episcopalia exercendo: imò & consecrationem Episcopalem usurpabant, ideo eorum Ordo merito ab Ecclesia fuit damnatus, & repulsus in *C. 3. c. 4. c. 5. D. 68.* Alij Chorepiscopi, vel potius *Coepiscopi* dabantur, qui verè Episcopi erant, & in pagis tanquam Episcopi administrabant, ut sunt hodie Episcopi *Titulares. Gonzal. in C. 1. de Privileg. ex n. 7. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 16. Diction. Univers. de Trevoux, V. Chorevagues* ubi probat, quod non debet scribi *Chorepiscopus*, ut aliqui non vulgares faciunt, sed *Chorepiscopi*, ut voci Græcæ correspondeat.

TIT. XXIX.

De Officio, & potestate Judicis Delegati.

305. JUDEX à jure, sive à justo dicendo nomen accepit. *C. 10. de Verb. signif. Et est persona legitima, seu Legibus non prohibita publicam potestatem habens cognoscendi de controversijs litigantium, & pronuntiandi de eisdem.* Alius est *Notionalis*, seu *Pedanus*, qui solum cognitionem sine jurisdictione habet: & tales sunt, qui in foro *Sæcularij Commissarij* dicuntur, & in foro Ecclesiastico *Auditores.* Alius est *Jurisdictionalis*, qui scilicet jurisdictionem obtinet. Et quidem alij habent jurisdictionem ordinariam, de quibus infra dicemus: alij jurisdictionem de-